



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Annalivm Trevirensium

Masen, Jacob

Augustae Trevirorum, 1676

Liber XXI. Clemens VII. Pap. Ioannes à Metzenh. Archiep.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12542

LIBER XXI.

Clemens VII. Pap. Ioannes à Metzzenh. Archiep.

Richardo votis omnium è Veteri Metzenhausiorum nobilitate Joannes summæ ædis Præpositus surrogatur, qui brevi regendi defunctus periodo, tres ejusdem nominis, quorum ultimus à Petra, post se traxit. Horum acta parcè literis consignata, uno hoc libro concludemus. Augustano Joannes nuper conventu legatus, ita Carolo Imp. reliquisque se probârat, ut hunc infulâ dignum assererent, & pallio Româ à Clemente submisso, id quamprimum Ecclesiastica per diœcesin disciplinâ, ex cujus labe potissimum hæresis proficiebat, instauratâ ostendit. Tunicam deinde Domini evoluta jam septennio, ad excitandam populi religionem, venerationemque, ingenti hominum latè affluentium frequentia publicè rursùm spectandam proposuit.

Postero Carolus Imperator anno, cum ex Belgio Germaniam petiturus, transiret Treviros, Joannes Februuario mense Boppardiam cum eodem ingressus regalibus ab illo donatus est. Unde reversus Trevirim 26. Maii à Tullensi, Virdunensi, & Nicolao Azotensi Episcopus consecratus, fidem à populo jurejurando obligatam accepit.

Carolus verò Ratisbonam ad comitia profectus, quo eum Theodoricus à lapide, & Joannes ab Enseringen Legati Trevirorum sequebantur, compositis utrinque Lutheranorum animis, exercitum Solimanno opponendum collegit, tique in Austriam sexcentorum, ut ferebatur, millium numero properanti, vix centena objecit millia. Quibus tamen, cum, præter spem Barbarus, Carolum in his Germaniæ turbis armatum oc-

1531.

Joannes à Metzzenhausen Archiep. ab Ecclesiæ cura incipit.

Togam Christi publico cultu proponit.

Regalibus à Carolo donatus consecratur Episcopus.

1532.

Carolus Solimannum terrore solo ad propria rejecit.

LIBER

currentemque accepisset, infelici Turcarum velitatione præviâ, & ardore Tyranni, ad Guntzium exilis famæ munimentum, temere infracto, is retrò pedem retulit, non armorum se vim, at Caroli fortunam dictitans formidare. Ita terror Otthomannici nominis vilescere Germanis hac expedit. one haud leviter cœpit.

Anabaptistis
sub Leidano
Rege Mona-
sterii in valet-
centibus se
Episcopi, &
in his Joan-
nes, oppo-
suerunt.

1534.

1535.
Interceptâ
urbe, oppres-
sa hæresis.

Academia
Trevirensis
studia Joan-
nes promo-
vet.

Interea ex Batavis sex quædam Sellulariorum Mona-sterium Westphalorum opificii, ut videbatur, gratiâ confluerat. In his Joannes Sartor ex urbe Leida, qui Lutherana primùm, ac deinde Anabaptistarum Secta per urbem invalescente, rem aggressus est, totius posteritatis admiratione excipiendam. Fictis pro more Sectæ, & hic, & alii mentis excessibus, Deique alloquii, homo vaser se Regem Sionis dixit, Reginamque ac concubinas legit duodecim, ceterisque parem libidinis explendæ copiam fecit, ut ferè hæreses aliquo carnis lenocinio aluntur, tum sensim autoritate fretus, ima summis, insanâ imperandi vertigine, miscuit, atque ad extremam rebellandi, everfis Christianis sacris, Episcopoque Francisco à Waldeck contempto, audaciam inflammavit. Qui cum à Rheni Septemviris ad urbem seditionis debellandam auxilia posceret, hi Confluentinâ diatâ congressi illa submiserunt. Quæ adjuncta Episcopalis, urbem obsidentibus, anno denique sequenti, in natali S. Joannis Baptistæ eandem expugnarunt, & pertinacis stultæque hæresis deliria multorum intere-cione oppresserunt. Rex scenicus cum præcipuis duobus facinorum ministris, ignitis discerptus forcipibus, supplicio miserando interit: hoc maximè dolendus, quod de tam infandis facinoribus dolorem nullum conciperet.

Subinde Joannes Trev. Archiepiscopus ad neglectam sub cura civitatis, Academiam conversus, Professores ex omni studiorum genere doctissimos, operâ viri eruditissimi Joannis ab En cringen Cancellarij legit, in quibus & Ambrosius Pelargus Dominicanæ familiæ Theologus erat, tuturum hujus Academiæ haud leve

ornamentum; ut qui Basileæ adversus Oecolampadium
 Brigittani ordinis desertorem, clam palàmve ex cathe-
 dra fortissimè decertarat, stylóque etiam, pro Missæ sa-
 crificio tuendo, graphicè confixerat, Friburgi deinde
 Virginum Monasterium strenuè ad priscae religionis in-
 tegratam formarat. Unde Trevirim delatus, Theo-
 logicam illius Academiæ dignitatem ac disciplinam,
 inter primos illius ætatis viros, ad ultimam senectam
 usque sustinuit, sub Paulo III. Clementis ante annum
 successore, auspiciatus.

Posthæc Joannes privatim diocesi suæ, in sacris
 profanisque excolendæ intentus, orthodoxam, (ad-
 versus hæresin ubique invalescentem, & in Galliam
 quoque per Calvini illatam) religionem sedulò de-
 fendit, arcesque ac munimenta collapsa magnificè re-
 paravit. Quo illius in studio, quantum aliis in locis
 profecerit hæresis, quantumque bello ac pace conten-
 tionum pro religione in Germania susceptum sit, alibi
 in Caroli V. historia latius prosecutus sum.

Cum Lutheri hæresin liberiori vitæ, Clerique pos-
 sessionibus inhiantes passim Principes amplecterentur,
 neque Concilium universale, quod diu expectatum, ac
 postremò à Lutheranis spretum, controversiis finiendis
 adhiberetur, actum denique Hagenoæ de conciliandi
 remediis, arbiterque inter delectos quatuor viros unus
 Joannes constitutus Archiepiscopus. Qui, dum in con-
 sulata disceptatione trahuntur dies, flagrantissimâ illius
 anni æstate, ardenti correptus morbo, ad Dansteiniam
 regionis Wasgoiæ arcem, quæ ipsi Sickingiano bello
 cesserat, curationis gratiâ delatus, haud multò post sa-
 cris ritè munitus 2. cal. Augusti mortalia reliquit. Va-
 nusque fuit vulgi rumor, qui, ceu reum captivumque,
 morte non sua defunctum sparserat. Cum & Præsulis
 integritas, & domestici testes obsistant. Palatiolum cor-
 pus, atque inde in Basilicam Treviricam consuetis ho-
 noribus deportatum, ante S. Helenæ aram, hanc in ipso
 monumenti pariete epigraphen habet. *Egregio Principi*

S. I. 2 D. Ioan-

Pelargus ex
 S. Dominici
 familia illu-
 stris; Doctor
 Theologicis
 præest.

1536, &c.

Sacris profa-
 nisque Tre-
 Viri se Joan-
 nes impen-
 dit.

1540.

Hagenoæ dñ
 conciliandis
 controversiis
 arbiter dele-
 ctus præest
 morbo cor-
 reptus in
 Danstein
 moritur.

D. Joanni à Metzenhausen Archiepiscopo Trev. Cujus virtute & industria Ecclesia Trevirensis, per novem annos & quatuor menses, feliciter administrata est. Successor Joannes Ludovicus ab Hagen Opt. Principi Virtutis causa posuit. Perit * in conventu Hagenoensi inter quatuor viros componenda religionis designatus, cum annos ferventissimus incidisset. Æger relatus est in arcem Dambiguum, enstein Vasgoia, ubi extinctus est XII. Julii. Inde perlatus ad suos, hoc loco sepultus est anno MDXL.

Ejus erga urbem affectus & Justitiæ administranda cura.

Joannes V. ab Hagen succedit, qui Latomum à consiliis habet.

* ab arte fabili dictus.

Fedus cum urbe Antecessorum quorundam diffimulare magis, quam innovare velle est creditus; quòd occasionem captaret, pristina sub Carolo IV. Imp. Cutionis cum urbe pacta revocandi. Ceterum non liquet, cur urbi parum æquus, ut Kyriander voluit, potuerit videri. Justitiæ certè in utroque foro egregius promotor, multa in Majorum decretis ambigua interpretatus est, & neglecta æquitatis adjuncta, proscriptis Curie vitiis, restituit, causasque ultra diem vetuit prorogari. Decreta, moresque Ecclesiastici tribunalis à legum peritissimis expendi, reformarique saluberrimis præceptis sancitisque voluit. Sua cuique ministrorum curiæ partitus officia, suas Patronis pœnas ac præmia, Reis pro delicti meriti que qualitate animadversiones. Quâ sanè curâ Ecclesiastici Principis officium egregiè est executus, cum prima boni Principis nota sit, æquitatem in rep. tueri.

Undeviginti ab obitu illius fluxere dies, cum cathedralibus placuit Joannem Ludovicum ab Hagen Præpositum huic oneri honorique sufficere V. Iduum Augusti. Qui in delectu illorum, quos à consiliis habuit, Bartholomæum Latomum designavit eloquentiæ in schola Parisina novennio professorem. Is hæreticorum, & Schmidelini * inprimis, flagellum fuit, qui cum Lutheranos in diversa abeuntes conciliare studeret, hos tanquam Sampsonis vulpes caudâ quæ sitæ libidinis colligatos; at superbis capitibus dissipatos, reperit. Unde scitè in illius Fabri conatum nomenque sic Vates lusit:

Ant

Aut Fabrum forceps, aut ars indocta sefellit:

* Εἰρήνῃν voluit cedere, cudit * εἰρήνῃν.

Sed, ut Comitiam revifamur Hagenoana, morte illa Joannis dissoluta atque indicta WORMATIAM fuere. Quo postquam frequentes unam cum Principibus convenissent, Philippus Melanchthon ab Eckio oppugnatus causam, nisi pertinaciam, sustinere non est visus. Unde (cum quavis partium victoriam, in Verborum pugna sitam, suam esse jactet) conatus hic iterum evanuit.

Posthac Carolus à Belgio rursus ad nova Ratisbonam comitia tum religionis conciliandae, tum avertendi Turcae gratiam contendit; sed majori frequentiam, quam consensu Principes adfuerunt. Ut Carolus diceret: *Diatam diatam parit, sed partus devorat matrem.* Joannes cum adesse non posset, valetudinis causa, misit Oratores Georgium ab Eltz, Joannem ab Enscringen Cancellarium, Ottonem Lengenfeld Confluentinum Senatorem, & Henricum Buchelium Jureconsultum. Qui nonnullis de religione conciliatis, cum Alberto Moguntinensi Archiepiscopo accedere detrectarunt; quod in nullo haecenus fidei articulo universalem Ecclesiam aberrasse jure sentirent. Quam certe ratione, ab ejusmodi consiliis, reliquis quoque fuerat abstinendum, qui imbecillitate quadam sua alienae male consultum ibant. Stultum enim est hoc tempore disceptari à posteris, an tot seculis, in unam semper durante Ecclesia, à patribus credita, posteris porro credenda sint? quae haereticorum solet esse quaestio.

Carolus ab his Comitibus (quanquam Turcae Buda iterato ac deinde & Pesto potiti, Germaniae metuendi imminerent.) Africae tamen rursus petendae, quam Victoriosus nuper tenuerat, desiderio, in Italiam Siciliamque se transtulit; sed cum instructissimam classem alieno anni tempore mari intulisset, gravissimam illam, ad hostile litus, tempestate quassatam, vix incolumem cum paucis Carolo reditum indulxit. Unde cum diutius ab-

* pacem
* litem.

Wormatiensis disputatio evanida.

1541.

Carolus habuit Ratisbonae comitibus, in Africanam expeditionem suscipit.

Joannes conciliata in fide rejicit.

In felix Caroli expeditio.

1542.

Gallus bello
Lutzebur-
genfibus in-
festus.

Carolus a-
missa recipit.

Ferdinando
contra Tur-
cam auxilia
parum felici-
ter à TreV.
suppeditan-
tur.

1543.
Bellum Julix
illatum.

sentem pro mortuo Europa plangeret, Franciscus Gal-
liarum Rex quinque diversis exercitibus pacem abrup-
pit. Unumque ex his Carolus Francisci Filius Lutzel-
burgiis repente infudit, qui Danvillerio, Virtono, Ivo-
dioque Trevirorum in finibus, ac denique ipsomet Lu-
tzelburgo expugnato, ingentem toti regioni vastitatem
intulere. Quando & vetus juxta urbem D. Benedicti
Monasterium, ab amicis, ne hosti præsidium esset fun-
ditus eversum, aliò postea, sed impari magnitudine,
translatum est. At Carolo Imp. sub hæc reverso, omnia
post triennium rursum, præter Ivodium, cessere: Ut
hic campus quidam alternantis in Marte Fortunæ, nun-
quam cladium expers, videretur.

Germani interea, Comitibus Spiræ ac Noribergæ
habitibus, Ferdinando in Hungaria contra Turcam decer-
nunt auxilia, quæ majori emolumento & laude Cæsari
præstanda fuerant: quia ut tenuiora illa, quam par, ita
inutilia ferè & pessundata fuère. Certè Georgius à Pe-
tra, Trevirorum ductor, plerosque suorum, cum magna
nobilitatis jactura sub acinacibus Turcarum reliquit.

Alia deinde Treviris ex septentrionali Julix regio-
ne belli tempestas impendebat, quam Guilielmi Julix
Principis, post aditum Geldriæ ducatum, animis viri-
busque aucti, ardor, Galli favore accensus, concitabat.

Qui absentia Cæsaris fretus Martinum Rossemium
Ducem strenuum Belgio vastando immiserat, ac per
hunc nuper Arebergum, fortissimam in Trevirorum fi-
nibus arcem Eiffliacam, fraude armisque interceperat,
malleolis ac pice valvis portarum disiecit. Inter hæc
Cæsar velut è naufragio emergens, cum omnia in Eu-
ropa misceri bellis videret; quanto potuit milite ingre-
sus Germaniam, ibidemque auctior copiis, Joannem
Archiepiscopum Confluentix, humanitate singulari,
convenit. Unde ad Hermannum Coloniensem trans-
gressus, nutantem in fide, artibus Buceri Apostata, su-
stentare egregiis consiliis, nequicquam conatus, obti-
nuit tamen ne armis adversantem ferret. Ergo Guiliel-
mum

num Juliae Geldriaeque Ducem aggressus, expugnato ad 9. cal. Sept. vi Marcoduro, & Ruræmunda deditione accepta, ipsum rebus suis desperantem in castris ante Wenlonam supplicem habuit: renuntiantemque Gallis, per Ferdinandi fratris filiam desponsatam, sibi etiam adstrinxit, Rossemio in suam militiam assumpto. Qui egregiam deinde adversus Gallos navavit bello operam.

Ad Spirensia subinde itum Comitibus, ubi exclusis Galli Oratoribus, contra illum, ut Turcarum auxiliis manfestè nuper Nicæam oppugnantem, ac mare Ligust. cum immani Christianorum captivitate infestantem promissa auxilia. Quibus brevi Cæsar, Lutzelburgensi ditio- ne recepta, Campaniam ingressus, expugnatoque Li- gniaco ac Sandesirio Parisios usque terrorem sparsit: donec, collatis exercitibus, ut parceretur humano san- guini Crepiaci pax est instaurata, animusque utriusque Regis orthodoxæ religioni firmandæ, ad Consilii Uni- versalis celebrationem inclinatus. Et potuisset jam tum, minus adhuc firmis Sectariorum rebus, consultò institui; nisi Pontifex suæ inter exteros (ut Basileæ fa- ctum) autoritatis metuens, finibus illud Germaniæ (quam ceteri volebant) adstringi noluisset. ac volens denique, ubi Tridentum suos mitteret, Lutheranos de- tractantes, reliquos verò Germanorum, ob incumben- tem Turcam cunctantes, offendisset. Ut Carolus Imp. diceret: *Concilium videri, Dei esse consilium.*

Dum hæc geruntur Latomus, qui Trevirorum Principi à consiliis erat, Buceri literis ac blandimentis invitatus, ut postquam jam Hermannum à Weda A- grippinatem totum hic impostor possedisset, Joannem quoque per hujus latus ad ruinam peteret.

At sensit dolum Latomus, atque ut mores Cleri po- tissimum culpabat, in ceteris respondit, superioris anni epistola XII. Julii. *Pessima est mens vestra, plena odii, plena malevolentia. Siquid vitii est in Ecclesia, tollatur, per vos, favebimus virtuti vestra, atque etiam fortes doctosque viros predicabimus. Quod si ea tentare per-*

S 4

gitis,

Juliae Prin-
ceps victus
bello sup-
plexque Ca-
rolo affinita-
te jungitur.

1544.

Cæsar post
Spirensia Co-
mitibus Gallum
victor ad pa-
cem cogit.

Concilii
Trid. spes fa-
cta; sed di-
lata.

Bucerus reli-
gioni Trevi-
rorum infi-
diatur, per
Latomum,
qui eum re-
fellit.

gitis, qua pia & utilia iudicavit antiquitas, Ecclesia constituit, consensus orbis Christiani per tot secula probavit; videte, ne rem arduam magis, quam speciosam moliamini, indignam vobis, intolerandam omnibus. Num eo usque progrediemini, ut eripiatis vobis Sacramenta salutis? turbetis ordinem Ecclesie? disciplinam veterum supplantetis? vos solos faciatis Iudices? omnem omnium temporum auctoritatem convellatis? Quid enim horum negari potest? Diripuistis Ecclesias, monasteria excidistis, rapuistis bona, expulistis monachos, Virgines polluistis; nunc etiam iudicia tollere conamini, ne quid sit in tanta atrocitate, quod metuendum vobis sit, quod cursum audacia vestra retardare possit. O mores Evangelicos! Hæc ille in ceteris, quæ in aliorum delapsa manus, vulgatâq; hoc anno scriptis utrumq; polemicis commiserunt, in quibus egregia Latomi, cum eloquentia, modestia eminebat, & Bucerianæ cæcitatibus commiseratio. Hermannus tamen, ut literarum & eruditionis expertus, ita hausti erroris pertinax, adversus Colonenses Trevericosque Doctores, tum etiam plerosque metropolitanæ ædis suæ Canonicos, defensor extitit, atque ad ipsos etiam Andernacenses, qui spirituali Trevirorum jurisdictioni parebant, suæ emissarios seditionis transmisit, quos æquo animo Joannes non sustinuit.

Hermannus
Colonienfis
Princeps
simplicitate
sua à Bucero
seductus.

1545.

Hermannus
à Cæsare ac
Pontifice
frustra cita-
tus.

Wormatiæ Cæsar ad Comitium Tridentini concilii persuadendi, auxiliaque in bellum Turcicum comparandi gratiâ accesserat. paucis Principum, nisi per legatos, comparentibus. Unde cognita Hermannus pertinacia, eum intra diem 30. adesse ad causam dicendam iussit: Paulus etiam Pontifex intra diem 60. Romanam eidem curiam præfixit. Nusquam verò comparenti proscriptio imminerebat. Quam hic etiam, cæpto jam Tridentini concilio, intorsit.

1546.

Francofurti igitur collecti Protestantes ut & Tridentinum, Cæsarisque consilia eliderent, bello etiam, quod imminere in contumaces videbant, non imparati occurrerent, comitia comitiis opponebant, armorumq; societa-

societatem, & Coloniensi opem decernunt. Cum verò Moguntinenses Trevirique medii, multam ad hoc bellum momenti allaturi viderentur, Palatinus, jam & ipse in casum inclinatus. Wesaliæ ad Rhenum superiorem cum utriusque Electoris legatis egit, ut hi deserti collegæ patrocinium apud Cæsarem sulciperent, Brandenburgico jam ad hoc ipsum prono. Sed his salutis potior, quam iniquissimæ causæ cura fuit. Bucerus tamen siquid rationum suæ novitatis haberet, Ratisbonæ in colloquio, fide data, expromere jussus, à Malvenda Hispanæ nationis Theologo, ad extremæ absurditatis doctrinam, de nullo, nisi infidelitatis, peccato, adactus, cum sociis, priusquam Cæsar advenisset, dilapsus est. Quod sanè perquam molestè Carolus tulit: qui maluisset pacem, quam armis controversiarum exitum reperiri.

At Lutherus harum perturbationum antesignanus, postquam suos certâ spe facta Victoriæ ad bellum inflâmasset, infelicem animam, post lautiolem Islebii cœnam, noctu 18. Februarii exhalavit, detestabilis in omni posteritatis memoria hæresiarchæ apud bonos nomine recensendus.

Protestantes verò Cæsari in Germaniam adventanti, & necdum ad bellum satis instructo, prisco more Epistola ad amentum teli alligatâ hostilitatem denuntiant, facile imparatum Ratisbonæ oppressuri, si sua illi magis fortuna uti, Cæsar minus casum declinare novisset. Qui arte sibi, ubi vi nondum posset agendum ratus, publicatis literis, non religionem se, verùm imperii jura tueri professus est, Coloniensem quoque, ut Septemvirum scripto veneratus, monuit; ne hostibus milite, aut comitatu adsisteret; sed fide sibi datâ hæreret. Quâ re multorû arma continuit; tum verò munitis sese castris protexit, donec ex Italia Belgioque miles affluxisset. Mox in apertum progressus, universam brevi Sueviam, Urbelque præcipuas Ullmam, Augustam, Argentoratum, Francofurtum in potestate habuit. Hinc imminente jam brumâ dilapsis hostium copiis, & suos ipse in hiberna divisit.

Appe-

Francofurti conjurant in arma Protestantes, Trevirenses frustra sollicitant.

Bucerus convictus.

Lutherus jam suis ad bellum accensis moritur.

Lutherani imparato Cæsari bellum inferunt, attamen vincendi.

1547.
Joanni ab
Hagen Ar-
chiepiscopo
succedit Jo-
annes ab I-
senburg.

Appetente jam Vere anni sequentis Ioannes Trev. Ar-
chiepiscopus lento exhaustus morbo, in Ehrenbreitstei-
niana Confluentium arce, 23. Martii fatis concessit; pro-
bi constantisq; in fide Pastoris munere perfunctus. Tre-
virum cadaver subvectum dextraque templi parte cum
hac epigraphe collocatum est: *Ioanni Ludovico ab Ha-
gen Archiep. Trev. Principi Electori, qui per septem annos
in magna rerum Germanicarum perturbatione, per hære-
ticos Lutheranos excitata, Ecclesia Trevir. sæliciter præ-
fuit. Ioannes ex Comitibus ab Isenburg Successor posuit.*
Montis Regalis Satrapia, Cunone Virneburgico Comi-
te, postremo illius stirpis defuncto, clientelæ jure, cum
arce Ecclesiæ Trev. sub Joanne Ludovico, accessit: ut
decessio unius accessio alterius est.

Carolus Vi-
ctor Friderici
eum pralio
captum, &
Hassium se-
dedentem
captivos at-
tinet.

Hermannus
Coloniensis
stulte Archie-
piscopatu &
fide decedit.
1548.

Locum illius Joannes ejus nominis V. ex illustri
Isenburgicorum Comitum familia 20. die Aprilis in arâ
sublatus, tenere cœpit, ex Archidiacono ejusdem Eccle-
siæ Archiepiscopus. Inter quæ Cæsar Wirtenburgico
Duce, ex federatis in fidem recepto, Fridericum Saxo-
nem belli & hæreticorum caput petendum censuit. Is
rerum suarum domi militiæque satagens, non tantum à
Ferdinando sibi erepta, sed etiam quæ Mauritii patruelis,
à Cæsare stantis erant, per hiemem receperat. Hunc igitur
trans Albim hærentem, reperto, præter Saxonum
expectationem, vado, solo equitatu aggressus, post ali-
quot horarum prælium conjecit in fugam, quam in mul-
tis gladius, in aliis captivitas interceptit. Dux eorum Jo-
annes Fridericus vivus in Cæsaris potestatem constitu-
tus, bello finem imposuit. Philippus Hassiæ Landgra-
vius exemplo territus, cum ultro se stitisset supplicem
Carolo, in vinculis tamen manere coactus est: quod
has in catenis feras facilius domari posse crederet.

Subinde Hermannus Coloniensis nuntiatum, ut vel hæ-
resi vel principatu abiret. Qui eo vœsaniæ delapsus est,
ut, cum principatus & salutis jacturâ, hoc mallet, Adol-
phoque Schauenburgico Adjutori cederet.

Indicta sub anni finem Augustam comitia, quæ fre-
quent;

quenti Principum numero, ac mole negotiorum, in se-
quentem annum protracta fuere. ubi Mauritius Septem-
virali dignitate Friderico successus est, & Adolphus Co-
loniensis Hermanno substitutus, Joanne Septemvirali
in cultu his actibus presentente. Tridentini adhuc Conci-
lii autoritas omnibus Catholicis facile persuasa. ex Aca-
tholicis Mauritius etiam, Brandenburgicus, & Landgra-
vius ad stipulati sunt, juratique 24. Febr. fidem addixerunt.
At fidem Deo negantibus, humana plerumque vilis est.

Porro Carolus cum vidisset Tridentini plerosque
Concilii Patres aliquot sessionibus habitis, se ac Ponti-
fice inconsulto, belli pestisque obtentu, Bononiam de-
cessisse, Hispanis aliisque Carolo addictis (quod invi-
tum hunc scirent) consistentibus, ideoque dissipatum
concilium aegre promoveri; Episcopis Germaniae autor
fuit, ut reformandae in Ecclesia disciplinae, clerique dis-
soluti moribus, unde praecipuus religionis Catholicae
manaret contemptus, ad pristinas leges revocandis, da-
rent operam. Quocirca reversus ad suos Joannes, non
nescius quam consulto haec sanctaeque Imperator urge-
ret, suas huc cogitationes ac studia non otiose contulit.

Quae dum apud Synodum administrantur Joannes
Cellensis, percelebris Maximiani Coenobii religiosissi-
mus Abbas, moriens Joanni Archiepiscopo, quem raro
exemplo Adjutorem sumpserat, locum Abbatis, titulo
Commendatarii, fecit: ut ex ipso Cellensis in Ecclesia
monumento posteritati notum est, quod hac inscriptio-
ne signatur. *D. Joanni à Cellis Abbati, reparatori hujus
Monasterii. qui per annos 23. Monachorum gregi sibi com-
misso feliciter praesuit, atque illius commodis, quieti &
fortunis vigilantissime prospexit. Joannes ex Comitibus
ab Isenburg Arch. Trev. & prius Coadjutor, deinde Com-
mendatarius, & successor posuit. Vixit annis 74. Obiit
1548. XI. Julii.*

Confirmaverat vetera Monasterii privilegia Paulus
III. Pontif. per Hieronymum Verallum Rossanensem
Archiepiscopum legatum suum diplomate Anni 1545.
pridie

Augustanis
Comitiis de
Concilio &
Septemviris
duobus con-
stitutum.

Carolus ob
dilatatum con-
cilium Epif-
copos ortho-
doxos suas
reformare
Ecclesias ju-
bet.

Joannes Ar-
chiepiscopus
Maximinio
Abbatis Suc-
cessor ei mo-
numentum
statuit.

Laus Archiepiscopi.

Provincialis
Trevir. Syno-
dus raræ de-
missionis ex-
emplis cele-
brata.

pridie iduum Martii. quæ se tueri aptius, quam forti & propinqua Isenburgici manu, Cellensis posse non credit: quanquam *gladius qui pro defensione datur, etiam possit offendere*. Christophorus tamen Rinecus Carthusiæ Prior, ac Provinciæ visitator doctrinâ atque integritate notus, in præfatione ad Berengosum de Cruce, Archiepiscopum egregiè commodis Monasterii invigilantem, ejus excitantem ruinas, mensæque Abbatialis impensas moderantem, tum pauperum ærumnis levandis intentum, præclarâ Administratoris imagine depingit. ne, ut assolet, hoc munus suo magis, quàm aliorum emolumento captasse videretur. Alias verò in eodem virtutes exhibet Principe tali dignissimas. ut, (quæ illius verba sunt) *Religiosam in restaurando ubiq; divino cultu sedulitatem, incredibilem tum modestiam, tum comitatem, affabilitatemque, quâ ultro etiam afflictis & supplicantibus obviam iret. In obeundis quamlibet arduis negotiis dexteritatem, tum vitæ continentiam, temperantiamque libidinum, quâ virtute sic excellat, ut ne sinistram quidem ejus vitii unquam de se præbuerit suspicionem. Quæ licet magis, ut encomiastes, quàm historicus referat, nihil tamen in veritatem peccare est visus. Ostendit hoc ipsum eximio Joannes exemplo, dum convocatâ Trevirim Cleri ad VI. cal. Decembris frequentiâ, ad formandos totâ diœcesi Ecclesiasticorum mores, post Nicolai Suffraganei, Ambrosiique Pelargi, ac denique & suam, de necessaria morum emendatione orationem; ut ex quarum corruptione illa hæresum pestis exitisset: ipse semet Archiepiscopus ante omnes suis subditis corrigendum obtulerit, liberâque enuntiare jussit voce: num quid ab ipso crudelius & avarius imperatum? num quid ab æquitate alienum? num quid in Dei cultu, aut publica salute neglectum? Hæc aliaque siquæ nossent vitia capitis, illa detegerent; ut qui medicus aliorum futurus sit, suis ante morbis curetur. Quam sanè libertatem, nisi rectè factorum conscientia fretus, toti nunquam concilio detulisset. Et verò pronuntiatum*

disertè
nis inf
cedere
præ re
igitur
rem in
rum se
ganeu
curus,
ut sub
functi
auditu
confue
Abbat
nundan
cepti.
quo A
menda
hac Gr
Domi
nodo p
piscop
Ver
Leuco
tharin
ac Nic
ma do
ticoru
mniun
in mor
Synod
pretiur
ecutio
Sub
Ligur
heredi
ponti
zelbyr

disertè ab omnibus. iis principem rectæ administratio-
nis instituisse auspiciis, quibus illum optent nunquam de-
cedere. Inferior tamen diœcesana classis quæta est, se
præ reliquis nimium hæctenus tributis gravari, rogare
igitur in his levamentum commune aliquod, & majo-
rem impositi oneris æqualitatem. Quæ cum se curatu-
rum sedulo Archiepiscopus benignè annuisset; Suffra-
ganeus Nicolaus Schinem sui Principis exemplum se-
cutus, & suos sibi errores detegi submissè oravit. Qui,
ut sub tribus jam Archiepiscopis suo egregiè munere
functus, laudem omnium merebatur; ita objici tantum
auditum est, quod sacros nonnunquam ordines extra
consuetum tempus conferre visus sit. Verùm ubi ad
Abbatem & ceteros deinde ventum est, graviores quo-
rundam morbi detecti fuere, calamisque Scribarum ex-
cepti, tenuitq; hæc morum censura triduum integrum,
quo Archiepiscopus præfedit, fidemque ab omnibus e-
mendationis promissam excepit. Decem verò diebus in
hac similique ad Synodum præparatione consumptis,
Dominica misericordiæ sequentis anni Provinciali Sy-
nodo præfixa est, in qua & Suffraganeis Lotharingæ E-
piscopi comparandum fuit.

Nicolai Schi-
nem suffra-
ganei virtus.

Censura in
delinquen-
tes.

1549.

Suffraganei
ex Lotharin-
gia Episcopi
advocati, le-
gesque con-
stitutæ.

Venere eo tempore Trevirim Toussanus Hocedius
Leucorum Tullensis Episcopus, & Legati Joannis Lo-
tharingiæ Cardinalis Administratoris Sedis Metensis,
ac Nicolai Episcopi Virdunensis, quibuscum de sum-
ma doctrinæ Christianæ, & officio hominum Ecclesiæ-
licorum accuratè tractatum est, salutique communi o-
mnium consultum, iis, quæ etiamnum, si non omnino
in moribus, certè in tabulis extant, sanctissimis legum
Synodaliū decretis ac monumentis. Essetque operæ
pretium hæc quandoque publica sanctione usque ad ex-
ecutionem perurgeri.

Subinde Philippum Regem Catholicum, ex Hispania
Liguriaque per Italiam Germanique Belgium paternæ
hereditariæ capessendæ gratia adeuntem, Joannes Sara-
ponti perquam honorificè excepit, atque hinc ad Lut-
zelburgios transeuntem deduxit.

Philippus
Rex Hispan.
à Joanne ex-
ceptus.

Nes

1550.

Joannes Archiep. ad Trident. Concilium profectus.

Nec multo post intellectum Julium III. Pontificem datum Paulo III. successorem Tridentino concilio restituendo, cum Cæsare id impensè cupiente, dare operam. Unde ad Augustana primum evocatus comitia, postquam comparandum istic omnibus decretum esset. anno sequenti, cum Sebastiano Moguntinensi Archiepiscopo, magnâ instructus optimorum librorum suppellectile, ne otiosus rerum fidei scrutator adesset, Tridentum se recepit, incredibili Patrum gratulatione exceptus, cal. Septembribus suum inter Electores, proximè à legatis Pontificiis ad dexteram sedentes, locum est sortitus. Cujus sessione Synodi XI memoria celebratur. At lætum quem sperabant Synodi successum Mauritii Saxonis Electoris repentina in Cæsarem perfidia rebellioque intervertit.

Mauritius Elector Cæsari perjurus bellum movet, ac Synodum evertit.

Ille enim cum everfam Synodum, ad quam se obtinuerat, cuperet, Philippi Hassorum Principis liberandi obtentu, quod hunc præter fas à Cæsare in vinculis detentum affirmaret, cum Alberto Marchione Brandeburgico, aliisque Protestantium, Gallico illigatus federi proprium Cæsaris militem, quem Magdeburgo expugnando adhibuerat, astu sibi, ut ex hæreticis ferè constabat, vendicatum, in expugnandum Cæsarem, conciliumque disjiciendum vertit. Quas proditoris machinas cum plerique observarent, præter Cæsarem, qui in clientem tot à se beneficiis cumulatam hæc cadere non posse existimaret. Joannes cum Sebastiano, ad sua tutelanda, quamvis obnixo Cæsare, recepere. Et vix ad illa redierant; cum, vernâ jam aurâ favente, Mauritius arma Augustæ Vindelicorum admovit, facilemque illic vicinisque in urbibus, jam hæresum tabe corruptis, nactus aditum, Carolum Oenoponti (ut Tridento propius abesset) pœnè incogitantem oppressit, cœnâ, quæ Cæsari ante fugam strata erat, ibidem receptus. Pari Rex Galliæ facilitate imparem hostibus Lotharingiam tenuit, Tullo Viridunoque rei frumentariæ specie admittus, Metasque velut pro transitu apertas nactus, triplicè

Gallus tres in Latharingia Episcopus, Treviro-

Episcopatum Trevirensium, citra sanguinem, tenuit. Indéque in Alsatiam transfusus Argentoratum frustra iisdem tentavit artibus; sed alieno jam periculo cautum. Quare cum Germani Principes, atque in his Joannes Wormatiæ collecti orarent Franciscum, ne immerentes bello premeret, jamque Martinus Rossemius, Cæsaris in Belgio miles, in Campaniam magnis sese cladibus intulisset, Rex ex necessitate simulaturus virtutem, ad sua se tuenda recepit. Ex itinere tamen per Lutzelburgios ducens Astenæum, Danvillerium, Montmedium, Bullionem aliâque quædam oppida, vasto per diversa fuso exercitu, occupavit. Petrum etiam Mansfeldium Ivodii, à propriis destitutum præsidariis, cum urbe, captivum duxit.

rum suffraganeos, occupat.

Belgæ Galliam, Gallus Belgas invadit.

Brandenburgicus hunc, ut Gallo militabat, in Nemetes, Vangiones, Moguntinenses Trevirosque consecutus, quantum Ecclesiis eorumque bonis ac sacris damnorum, ut gravissimus illorum hostis intulerit, haud facile explicabis. Intellexerat is Mauritium jam Passavia cum Cæsare, Ferdinando potissimum revocante, conciliatum esse, fidemque rursus, liberato Philippo, ac dissipato concilio, dedisse iis legibus, quibus sibi suisque consortibus libertatem pepigerat. Quæ res Alberto non ad quietem, sed majus odium furoremque in orthodoxos expromendum occasio fuit, nequid ipsis deinde integrum inviolatumque superesset, ad eò inhumana religionis evertendæ cupido consilia suggerebat. Ex vastata igitur Moguntinensium diœcesi Trevericam ingressus, cum Ehrenbreitsteinianam sibi arcem dedi à Joanne arroganter postulasset, & Archiepiscopus eâ sibi possessione nunc opus esse respondisset, in Treviros copias, indignatione plenus, movit, formidansque ne resistendo moras, ad Cæsaris bellum instaurantis adventum, traherent, sedemque aliquam rapinarum suarum requirens, cum iisdem liberum in urbem, sed innoxium accessum pactus est, custodiis eo sine per urbem distributis, Qua re offenso Cæsari responsum à civibus fuit,

Brandenburgicus Mauritio conciliato, bellum Episcopatus diversis etiam Trevirensi infert.

Hispanis Urbis Trev.

Geor-

propugna-
tionem de-
sperantibus,
hostis Bran-
deburgicus
ex pacto ad-
mittitur.

Palatiolum
& Saræbur-
gum destru-
ctum.

S. Paulini &
Maximini se-
des inflam-
mata:

Metas Cæsar
magna sui
exercitus
elade frustra
aggreditur.

Georgium Holium & Comitem Egmondanum, cum
tredecim peditum vexillis subsidio è Belgica missos des-
perasse, urbem tam vastam suis præsiidiis se adversus tam
potentem & furiosum hostem tueri posse; adeoque hoc
pacto, securitati consulendum fuisse, ipsoque hoc etiam
Archiepiscopo, per Philippi Rheni Comitem, interces-
sore factum. Rex tamen Galliarum, ut suo urbs nomi-
ne possideretur, novem cohortium legionem submit-
sit. Hic igitur, statione fixâ, Brandenburgicus ad vicina sese
loca, sub jugum tributumque mittenda, effudit, Ma-
chera oppidum, Mosellæ ripis impositum, facile expu-
gnatum: Epternacum quoque captum, sex aureorum
millia tributum pendit. Palatiolum infra & Saræburgii
supra Treviros, firma munitis arcibus loca, subjectis
flammis eversa, & ad illam, quæ hodie dum visitur ru-
derum vastitatem redacta, spoliis undiq; in unam Tre-
virorum urbem congestis, quam denique exhaustam
iisdem flammis destinasse fertur: nisi, oblato demum
aere, Archiepiscopus redemisset urbem diocæsimque,
quam, instante jam à tergo Cæsareo milite vel invitum
cedere cogebatur. Suburbana tamen D. Paulini & Ma-
ximini Monasteria, subjectis jam ante facibus, consum-
pserat, non passus tam nobiles Sanctorum hominum
martyrumque sedes inviolatas consistere: ne cum solis
viventibus bellum suscepisse videretur. Postquam Bran-
deburgicus in Lotharingiam ad Gallos abiisset, Burgun-
dus rursus à Lutzelburgiis miles adfuit, vindicatus,
ut putabat, hostis admissi injurias; sed objectis portis
scloporumque etiam majorum impetu ab urbe rejectus,
Principisque miles evocatus, receptusque pro defension-
e est. Verùm tamen impediri deinde non potuit, quin
Cæsar obsessurus Metas, Cæsareum per totam diocæ-
sin præsidium, frumentandi causâ, divideret: gravissim-
que cum eadem urbe, ob receptos adversarios, expostu-
latum suos mitteret. At dolore Cæsaris maximo fa-
ctum, ut Metæ à Francisco Guisio Duce fortissimè pro-
pugnata, & hiemis incumbentis violentiâ, inutile ejus
obsidio.

obsidionem, magnâ exercitus amplissimi (quem & ipse Brandenburgicus, à Gallis ob negata stipendia divisus, auxerat) jacturâ redderet ; ut plerique Carolum ad Metas suæ reperisse fortunæ metas, non inani prorsus verborum lusu, dicitarent.

Quare dimisso ad hiberna nondum enecto milite, morbis tamen frigore atque inedia debilitato, nec Treviri hunc declinare potuerunt. Tecto igitur hospitioque exceptæ legiones geminæ, Arenbergii & Ebersteinii Comitum, præter sexcentos alios ægrè animam trahentes, in D. Martini & Dominicanorum cœnobia exceptos, ut animabus non minus, quàm corporibus curarentur. Sed mirum est, quantum hi milites ob dilata stipendia tumultuum cicerent. neque menstruo, quod numeratum, tributo contenti, Duces suos intercessioni, urbem spoliis destinabant : & ut vires ad hanc rem sufficerent, suburbanas sibi adjungere copias moliebantur. Quod, ne fieret, statione civium ad portas firmatâ provisum est. naves tamen Lutzelburgensium plenas mercibus in portu hærentes vi occupatas expilant : tum & Ebersteinium Comitem in vincula compegerunt. Qui ut, post indignissimas contumelias, gladios suorum effugeret, coactus est omne stipendium exsolvere, ac deinde juramento omnibus injuriarum oblivionem polliceri, laudabili Christianorum virtute, nisi extorta ab invito fuisset. Dimissa tamen rebellis ab urbe legio, & Nassovia in vicem advocata. Sed his, ut impastis bobus ad pinguiora admissis pascua, difficile fuit majorem moderationem persuadere. unde ad vicina effusi monasteria, prædæ, non religionis, quam plerique jurarant, gratiâ, sua in spoliis stipendia, lautiori etiam proventu, collegerant, Exautorati denique, mutato Cæsaris jussu imperio, plerique sub vexillis in custodia urbis persistere, ignavæ militiæ nomen secuti. Ita Treviri ab amico juxta ac hoste afflicti, opem plurimum, quàm desiderabant experti sunt, ut quâ se ad inopiam redigendos sentirent.

Tt

Medio

1553.

Cæsareæ legiones Treviris receptæ tumultuantur.

Joannes inter
Juliacum
& Colonien-
sem seque-
ster.

1554.

1555.

Apoplexia
tangitur.

Joannes à
Petra

1556.

Mors aliquot
Septemviro-
rum, & Jo-
annis.

Medio tempore Joannes Archiepiscopus ortas inter
Julia & Ubiorum principem controversias, sequester
cum Palatino Baccharaci composuit. Unde domum re-
versus, molesto sensim morbi genere, apoplecticoque
membrorum, linguæque officio ita captus hæsit; ut
deinceps nil nisi gestu nutibusque exprimeret, serena ta-
men inter hæc fronte, erectique animi solertiâ, & au-
diendis doctorum religiosorumque hominum, nunc de
politicis, nunc de rebus sacris dissertationibus intentus,
moderabatur remp. Seque etiam Sacramentis Ecclesie
percipiendis, expiatione peccatorum, per nutus ad reci-
tatas à Sacerdote noxas expositorum, præviâ aptabat.
Joannem tamen à Petra, (vernaculè von der Leyen) ex
metropolitano Clero, regendi prudentia ac virtutis æsti-
matione florentem, datum sibi Adjutorem, lubens vo-
lensque, summo Pontifice laudante, assumpsit, non sine
felici omine; ne jaetanda per hæreticos Ecclesia, suâ de-
stitueretur, cui insisteret, petrâ. Quo tempore Julius Pon-
tifex vitæ ac regiminis finem, & Marcellus post eundem
electus, intra mensem reperit, succedente Paulo IV.

Sequentis verò anni decursus tribus etiam Septem-
viris fatalis ad Rhenum fuit, Friderico II. Palatino, A-
dolpho Colonienfi, & ante hunc Joanni Trevirensi
Monthaborana in arce XII. cal. Mart. defuncto & Con-
fluentina in æde B. Florini cum hac inscriptione sepulto
*Reverendissimo in Christo Patri ac Dno D. Joanni, ex gene-
rosa familia DD. ad Isenburg & Grensau. Qui ad hujus
S. Trev. Ecclesia gubernacula unanimi Capituli consen-
su adhibitus, cum Ecclesiam remque publ. inter gravissi-
mos imperii motus, insigni pietate, & animi constantia
administret, multisque pro Christi gloria, & Ecclesia
sua salute laboribus susceptis & itineribus confectis, in
Concilio Trid. in adversam valetudinem incidisset, &
paucis post diebus patientissimè tolerato morbo, ex hac vi-
ta in æternam requiem decessisset, Joannes Archiepiscopus
Successor ex nobili stirpe von der Leyen, pietatis & virtu-
tis cultor, defuncto Principi posuit. Electus fuit in Archie-
piscopus*

piscopum anno Domini MDXLVII. mense Aprili die XX.
Obiit anno MDLVI. mense Febr. die XVIII. in arse Mon-
taburensi, sua ætatis XLIX. Nec longior iade vita Ni-
colao Schinem suffraganeo, qui plenus ævi ac venera-
tionis suum Principem secutus in basilica D. V. sepultu-
ram adeptus est.

Nicolai Suf-
fraganei lau-
dabilis vita
& mors.

Comitiis deinde capitularibus Joannes à Petra Ar-
chiepiscopatum tenuit, cujus auspicias rectè vices jam
ante capessiverat. Primaque ipsius cura de submoven-
do ab urbe Cæsaris milite fuit. Quæ illi gratia per Chri-
stophorum Kegelium & Paulum Persæum Caroli lega-
tos facta. Qui Trevisis Joanni Cunoni à Metzenhausen
summæ ædis Canonico aliisque nomine Electoris præ-
sentibus, claves urbis per Georgium Gumpelberg mili-
tæ tribunum exhibuere, ut per illius manus ad Senatum
urbis, cum debita obligatione redirent, quod & præstita
civium ex jure veteri cautione, à Principe effectum est.

Joannes VI.
à Petra Ar-
chiep. crea-
tur, & urbem
Cæsareo mi-
lite liberat.

Meditabatur eo tempore præclarum vixque audi-
tum facinus Imperator Carolus, cum se ex potentissimo
monarcha in solitarium Hispaniarum angulum, abditu-
rus, imperium Europæ, totque possessiones regnorum
in Philippum transferre filium, unâ donatione conatur.
At collecti Moguntia Septemviri insolentiam facti mi-
nus probare; aut certe præ Ferdinando, Rege Germa-
norum jam creato, alium visi sunt nolle agnoscere.

Carolus re-
gno in Phi-
lippum Fil.
imperio in
Ferdinan-
dum Fr.
translato se-
litudinem
his præfert.

Unde Carolus Belgii quidem Hispaniaque, & re-
gnorum ditionumque annexarum dominium stupente
mundo, in Philippum transtulit, ac subinde imperii
Rom. insignia Ferdinando Fratri, ex Electorum arbitrio
tradenda, per Guilielmum Nassovium Legatum sub-
misit, Pontifice hanc resignationem improbante, quæ
se inconsulto, (cujus esset coronas Imperiales & dare,
& recipere) facta esset. Convenere tamen Francosurti
demum Electores, quorundam ex suo ordine funeribus
tardati anno 1558. mense Februario, ac Ferdinando im-
perium fidemq; solenni juramento reciprocâ addixe-
re. Unde vix reversus ad suos Joannes, turbatum bello

1557.

1558.

T t a Gallico

Bellum Gal-
lobelgicum,
& pax Came-
racensis se-
cuta.

1559.

Carolo in E-
remo defun-
cto Augu-
stam vocata
Comitia, ubi
cum ceteris
Protestanti-
bus Frideri-
cus Palatinus
Calviniza-
tus, urget a-
bolitionem
articuli Pas-
saviensis, de
Episcopo-
rum bonis.

Joannes cum
laude sapien-
tiae resistit.

Gallico Belgium, & Lutzelburgios, in Archidiecepsi Treverica, haud levi clade reperit. Nam expugnato Guisius Calecto, ex Belgica repente se intulit, vastatisque late agris, Theodonisvillam supra Treviros aggressus, minus illam à milite instructam expugnavit. Lutzelburgo deinde obsidione presso, & quaedam ad colligendas vires mora, & gravis Francorum ad Gravelingam ab Egmondano accepta clades, ac denique insequenti anno memorabilis illa inter Henricum Gall. & Philippum Hisp. Regum Cameracensis pax, quâ omnia inter octennium occupata ad priores reducta possessores sunt, saluti fuit.

Interea Caroli Imperatoris, sua in eremo, sexto die Septembris anni 58. decedentis, mors Germanis nuntiata, eosdem ad Comitia Augustam pro rebus imperii constituendis frequenti procerum numero excivit. Quando Ottoni Henrico Palatino Electori, illius stirpis nuper fecundissimæ ultimo, de Simerana familia, ex decimo cognationis gradu, successit Fridericus ejus nominis III. Calviniani dogmatis, quod ex Gallia hauserat, sectator, licet majoribus haecenus natus Catholicis. Ita infelix hæc regio paucis annis ab Apostolico Majorum instituto ad Lutheranismum, atque, eodem mox damnato, ad Calvinismum, insanâ hæresum vertigine, circumacta est: cum nepotes, suis videlicet sapientiores Patribus, eos à quibus fidem acceperunt, audent corrigere, & discipuli suos erudire Magistros. Hic igitur reliquis Acatholicorum suffragiis accessit, quibus illud constanter actum, ut articulus Passavicæ & Augustanæ patris qui deficientes à religione Episcopos & Sacrorum Antistites bonis cedere jubebat, tolleretur. Quod decretum tamen, cum Archiepiscopi reliquique Præsules tuerentur, licet in sui gratiam, ac majorem traseundi libertatem conceptum dolose mutationis consilium esset, stetit inconcussum. Joanne Trevirorum Antistite in his aliisque sententiis dicendis confirmandisque tam fortem utilemque Ecclesiæ Rom. & imperio operam navante, ut bono-

honorum illæ voces essent, *beatum fore, & illustrem imperii statum, si plures tantâ sapientiâ in eo lucrent, ac ceteri Principes pedem in istius vestigiis ponerent.*

At dum foris Princeps insidias hæreticorum vitat, domi iisdem circumventus, parum abfuit, quin urbe Trevirorum excideret. Unius id factum impostoris Gasparis Oleviani artibus. Is honesta Trevirorum domo Quæstoris natus, in Galliam atque hinc Genevam effusus, juris discendi gratiâ Calvinianam istic luem hausit, transtulitque in patriam uno postis impetu pœnè ad interitum correptam. Redux illo rem artificio auspiciatus est. Dialecticæ juventuti tradendæ primò se Magistrum in Academia obtulit. Hanc deinde professionem ingressus, ubi syllogizandi rationem traderet, cœpit illa miscere argumenta, quæ Catholicæ majorum disciplinæ adversarentur, idque cum Augustanæ Confessionis commendatione, cujus jam in urbe quosdam studio, imprimisque alterum Consulum Joannem Steussium, noverat occupari. Unde mox, fautores impulsoresque nactus, affixâ publicè schedâ, ad concionem Academicam Festo D. Laurentii multitudinem invitat. Perfrequens illa novitatis amore affluxit; sive, ut consutaret, sive ut sequeretur. Et verò factum, ut cum Ecclesiæ Sacramenta cæremoniasque ac Sanctorum invocationem perstrinxisset, alter Consulum Laurentius Orhem antiquæ fidei propugnator, re deinde ad Senatum delatâ, potiorum sententiis accersitum Olevianum concione omni interdixerit. Quod Collega Steussius cum fratre, Ottone Seel, & Petro Sirkio Jureconsulto, suâ intercessione turbavit, obtinuitque, ut ex tribuum suffragiis res ageretur. Quod cum quartâ, ab assumpta Virgine, ferri actum, Lanifici Sartoresque pro Oleviano; Institores verò ac Doliarii contra sterere. Artifices medi, Latinum illi in Gymnade sermonem indulgendum, vernaculum censuere vetandum. At Steussius cum suis, licet Catholicorum vicisset in senatu sententia, quâ & Gymnasium illi oclusum, & concio vetita, perrupit ta-

Urbs Trevirorum ab hæresi occupatur.

Olevianus seductor à juventutis instructione ortus hære. fin.

In Gymnasio publicè altero Consulum favente, contra fidem Romanam declamat.

Ad Hospitale
templum S.
Jacobi pro-
ducitur, par-
telicet Sena-
tus & tribu-
um recla-
mante.

Heroica uni-
us sententia.

Conjurant
in Confessio-
nem Augu-
stanam.

men, & pro Academia Hospitale illi domum S. Jacobi aperuit, ac propalam ad populum dicentem produxit; Catholicis, ut plerumque ex Christianæ mantuetudinis indole sit, timidè propugnantibus; contraque aliis audaciâ & amentiâ, ut rebellium habet ingenium, magis animosis. Et certè nulla stultior inter Treviros disceptatio, neque illa urbe indignior suscipi poterat; quàm de religione ab ipsis Apostolorum discipulis tradita, nullâque unquam mutatione, aut hæresi, (quæ est hujus gentis gloria singularis, veterumque monumentis testatissima) interrupta: standumne in illa, an permanendum? profani Senatus, imò Lanificorum Sartorumque deliberatione agitari.

Ut prudens honoratusque Senator Leonardus Nusbaum, libello ad curiam missio, liberâ voce professus sit, non interfuturum se tam indignæ de prisca in Deum fide commutanda quæsitio; cum decretum sibi sit, nec ungue lato à Majorum institutis discedere, supra quos sapere, extraque illorum fundatissimam fidem salutem expectare, vesanum atque impium videatur. Archiepiscopus ubi hæc accepisset, rediturus, in via præmisit ad Urbem legatos, qui & de tumultu sedando, & rebellibus investigandis laborarent; sed dum hæc agerentur, vocatusque in Senatum Olevianus, & cujus autoritate hæc ageret? rogatus, protervè Dei honorem vocationemque obtenderet, factiosi ad arma conclamant, publicâque in domo Augustanæ Confessionis formulam amplexuros se defensoresque conjurant, Senatu ad hæc, vel torpore, vel metu hærente. Ergo per alios Princeps legatos, numero ac dignitate graviore, Philippum Winneburgium, genere atque eruditione præcellentem, Georgium ab Esch, Cunonem Metzenhausen, Philippum ab Homburg, Philippum à Nassau, Nicolaum ab Enschringen, & Christophorum Humphæum, Magistratum urbis vocatum officii commonuit, & seditionibus Augustano nuper conventu severè vetitis, ussit occurrere, suam quoque ad hanc opem pollicitus. Rursum

sum igitur indictus ad audiendas de religionis consilio sententias, compertum, ex tredecim civium Tribubus Lanificos, Fabros, Sartores, Cerdones partemque Sutorum Augustanæ Confessioni jurasse, reliquas Tribus resistere, Nauticamque inprimis & Doliariam constantissimè, Accessère deinde VI. Septembris, jussu Principis, ceteris Legatorum Jacobus ab Eltz ædis Metropolitanæ Decanus, Bartholomæus à Petra Scholasticus, Balthasar à Staffel, Henricus Buchelius, Theodoricus Fladus, & Jacobus Henselius Jureconsulti, qui jussu edictoque Principis, in frequentissimo senatu, apprehendi, carceribusque tradi Olevianum postulabant. Hic verò in Senatum evocatus negabat ad carcerem se iturum; sed ad stipulatus satisdedit, ad dicendam causam audiendamque sententiam, si juberent præsto se futurum. Cumque Magistratus censeret, fidejussione illius abundè cautum, legati quoque acquirere.

At ubi, propinquante jam Principe, rebelles judicio se sistendos animadverterent, missi ad Fridericum Palatinum Ducesque Bipontinos pro auxilio legati, quos hac opportunitate gavisos non solum ad præstandam opem habuere promptos; sed etiam Conmannum Fluisbachium Superintendentem (quales pro Episcopis obtundunt) ad alendum hoc incendium submittere. Qui solus Zaligeri Consilarii Friderici literis fretus, non veritus est novæ religionis buccinatorem agere. Inter hæc Antistes appropinquare V. cal. Octobris nuntiatur. Quando Joannes Steussius in Senatum progressus, ut Catholicos unà cum Protestantibus suis partibus addiceret, ostendere conatus est, *non tam de religione, quam urbis libertate actum esse, sed Principem urbe excipiunt venire illum magnis equitum peditumque stiparum copiis, ut, quod diu cogitatum, pristinam civibus potestatem eripiat suumque ad jugum arbitriumque in omnibus cogat. Vim igitur injuriamque omnibus fortiter propulsandam, aut turpiter, quod nolint, serviendum. Agerent proinde, ac seposita religionis cura, libertatem pristinam tuerentur.*

Olevianus ad causam dicendam se obligat.

Palatinus & Bipontinus. opem urbi offerunt & Verbi Præconem submitunt.

Joannem alter Consulurbe excludere conatur.

Quâ oratione cum suspensos spem inter metumque civium animos teneret, placuit per Oratores Archiepiscopi mentem explorare. Quibus ita satisfecit Princeps, ut cum dixisset; *non pristina solum jura urbis abs se intactum, sed et auctum iri: Augustana etiam Confessionis homines eo, quo imperii decreta statuissent, loco fore;* Catholicis quidem satisfactum, sed heterodoxis non fuerit. Unde Steussius, cum accedenti Principi obvius sciscitatus esset de juribus & religione; objectoque portarum repagulo, idem accepisset responsum, dexteram sibi fidei dari postulavit; sed Verbis Princeps, recusata manu, fidem addixit, ac solutis repagulis, admissus est. Verum recepto in Palatium Archiepiscopo, seditiosi catenis ad claudendum exitum plateas intercepte, qui centum & LXX. tantum equitum præsidio urbem subierat. Quin & armati sese foras efferebant, ut à parte Catholicorum, etiamnum potiore, decretum fuerit: *ne quis civium arma sub capitis discrimine circumferret.* Postquam tamen Princeps tempore quo rebelles in Hospitali S. Jacobi concionem sub Oleviano adituri essent, Petrum Fac, Curionem quondam Boppardiensem, singularis, & eruditionis, & Zeli virum immisisset cathedræ, vix ab eo manus insolens vulgus abstinuit; sed concitatis clamoribus campanique æris sono, velut ad incendium publicum, urbem commoverunt. Tum verò Princeps, Senatui injuriam frustra questus, militem urbi adversus seditiosos tuendæ obtulit; sed veriti, ne hoc admissio libertatem amitterent, licet Catholici suum offerrent Antistiti præsidium, huic tamen parum fides, urbe decessit, præsertim cum intelligeret rebelles pro subsidio vicinos A catholicorum Principes compellasse. Egressus, fluminis usum infra supraque urbem interceptit, navigia occupavit, venas urbani fontis intercidit, com meatumque omnem sustulit. Unde orthodoxi rebellibus indignati cœtu coactò, ubi se potiores depreparatis, dominari ceteris, & ad obsequium primò, deinde & custo-

Admissus urbe Princeps cum se parum tutum intra muros videret, excessit. Urbiq; com meatum & aquas interceptit.

Catholici rebellium victores Principem revocant.

& custodiam autores seditionis, iussu Principis, coegere. Quà, in curia, à Doliariorum tribu servati sunt. Ita in urbem Antistes cum 200. equitibus, & peditum cohorte receptus, Bipontinum præconem ad suos, cautionibus obstrictum, remisit. Vulgus rebellium multavit exilio, reliquos justis pœnis reservavit.

Quando rursus A catholici Principes Fridericus Palatinus, Georgius à Zimmeren, Wolfgangus Bipontinus, Christophorus Wirtenbergius, Philippus Hassiæ & Carolus Badensis Legatos mittunt, rogantque, ne quid gravius in suæ religionis consortes Elector constitueret; sed templi Ministrique indulto usu, suo illos cultu pateretur vivere. Quibus cum Elector ostendisset, non tam religionis, quàm perduellionis, in se, suâ exclusum urbe, & ob rem turbatam publicam reos agi, adeoque nihil imperii legibus difforme geri, illud tamen se Principum intercedentium gratiæ daturum respondit, ut mortem infamem promeritos solo exilio, & ære trium millium multatos dimitteret. Quod cum gratum habuissent, cautione ab omnibus non vindicandi præstitâ (quam solenni Olevianus formulâ edidit, vitam se Principis clementiæ debere professus) sedem omnes mutare coacti sunt. Plerique civium facti supplices, Deoque ac Principi juratâ fide, substiterunt, totaque urbs ab exitiosæ religiosi contagione liberatâ ad antiquæ pietatis studium excitata est, anno LX. quo Pius IV. Pontificatum iniit.

Quod ut facilius consequeretur Joannes, natæ id temporis, ac toto brevi orbe diffusæ Societatis Jesu Patres, singulare juventutis per omne genus eruditionis pietatisque instruendæ studium professos, ad jacentis Academiæ decus excitandum, Petro Faë (ejusdem Societatis postea institutum amplexo) potissimum suadente, accersendos duxit. Hi à Generali Præposito Jacobo Laynio, qui in fundatoris Ignatii locum successerat, postulati, ab Everhardo Mercuriano, Rhenanæ Belgicæque Provinciæ præfecto adducti fuere, in hisque

A catholici Principes pro suis intercedunt.

Perduelles hæretici solo exilio in gratiam Principum multati.

1560.

Patres Societ. Jesu ad Academiam vocati.

Hermannus Thyreus Novesius, singulari vir doctrina zeloque; tum verò & Antonius Vinckius Belga, Rector futurus, eminuit. locus verò juxta Vetus Gymnasium, quem nunc Seminarium adolescentum occupat, angustis ruinosisque in ædibus delectus est. Unde, posteris annis, ad opportuniorem cum ipsa Gymnade sedem translati sunt.

1561.

Confluentinorum motus exorti suppressique.

Trevericorum finem motuum, Confluentinorum ferè principia excepere, minus tamen memoranda, quod nascentes suâ Princeps vigilantia prudentiaque oppresserit. Senatus urbis, quibusdam incentoribus ad majoris libertatis, velut antiquis sibi tabulis debita, spes erectus (qui tunc erat ex hæresum scabie pruritus) ejusdem indipiscendæ curam vulgo ad rebellionem concitato ingerebat. Quando Princeps, tempori intercedendum ratus, aditu portarum exclusus est, & familiares obnixi, cum probro rejecti sunt; silvæque & lignorum participatione prohibiti. Ergo firmatæ nondum à præsidio urbi suas Elector admovit copias. Valuitque hæc illius celeritas, ut percussus terrore vulgus, bellicque infelicem eventum augurans, Senatui contra Principem parere recusaret. Unde suo hic animadverso periculo, cum plebem secessione factâ, abjungere consilia videret, illi accedendum potius, quam capitis discrimen adendum censebant. Missi igitur legati errorem deprecantur. At Princeps severitate clementiam moderaturus, admitti primùm in urbem voluit, quàm gratiam deferre. Tum supplicem Magistratum habuit, quem graviter verbis increpitum, vitâ tamen clementer donatum, aut ære, aut exilio multavit. Ita & hæc tempestas, ne in aliquam hæresis procellam erumperet, insigni Principis sapientiâ quievit. Ipse etiam Pontifex hoc rerum contra A catholicos successu lætus, perquam honorificis literis & religionis zelum, & prudentiam actorum singularem probavit.

1562.

Vertente dein anno, cum Pius IV. Pontifex Tridentinum concilium instauratum vellet, Joannes Franciscus

Com

Commendonus ipsius Legatus Treviris ad Principem eodem invitandum adfuit. Qui Academiam recens à Patribus susceptam ingressus, de literis cum pietate jungendis egregiè palam differuit. Secutus eundem Laynii Societatis Præpositus, Theologi Pontificii munere eandem Synodum aditurus, Archiepiscopum quoque scholasque invisit, singulari & illius, & Treverici Senatus benevolentiam exceptus est.

Hinc verò Princeps illustri nobilitatis comitatu stipatus Francofurtum adiit, & 24. Novemb. conspirantibus Electorum suffragiis Maximilianum II. Ferdinandi Filium Imperatorem renuntiavit. Qui ibidem in D. Bartholomæi basilica 30. ejusdem mensis, ab Archiepiscopis, prælucente Moguntino, coronatus est.

Reversus ad suos, mirum est, quam impensè se dederit litibus causisque; controversiarum in judicio expendendis absolvendisque, nemo supplicum, nullaque causarum, etiam de levissimis (quod familiares culpabant) rebz susceptarum, rejecta est. His cum ad valetudinis iacturam usque incumberet, à domesticis licet avocatus, institit: dictitans *gloriosius valetudinem, in laboribus, quam otio & voluptate frangi. Et, nihil leve judicandum, quod vulgo grave sit. Quò quæq; leviora, tantò discuti facilius; quò graviora, tantò majori præsidio indigere. Hinc nec illa rejicienda esse, nec hæc prætermittenda.*

Inter hæc expeditâ jam, suoque fine conclusâ Tridentina Synodo, illa animum cura subiit, ut provinciali indicto conventu, ea quæ fidei morumque decreta tulisset, in usum exercitationemque posset traducere. Quod dum molitur repente compositi nuper Trevirorum in urbe motus, non quidem de religione, sed libertatis quæsitæ studio, rursus emergunt, cum Principis fortè vna urbi inferenda impedissent, aliasque offensionis dedissent causas. Quibus expositis, de injuria eodem compellavit.

Pius IV. Concilium Trident. restituit.

Maximilianus Rex Rom. pronuntiatur.

1563.

Joannes ad lites etiam minimarum rerum expediendas se impendebat.

1564. Concilium Trid. finitum Joannes admittit.

1565.

Nova urbis seditio eum distinct.

Neque

1566.

Quid pro sua
libertate ci-
vitas obten-
derit.

Lützelbur-
genſe præſi-
dium in ur-
bem admis-
ſum.

Cauſa ad Cæ-
ſareum tri-
bunal delata.

Comitia irri-
ta.

S. Maximini
ſibi
vendicat.

1567.

Neque civitas libertatis vindicandæ negligens Imperatori ſe proximè ſubjectam aſſerebat; ideoque nec provincialibus tributis ceterisque id genus oneribus, perinde ut reliquos, teneri. Adhæc tutelam advenarum, Judaicæque gentis, comitorum in urbe gerendorum, jus excipiendi, distribuendique in hospitia Principes exteros, eorumque Legatos, ſibi deberi, priſco inſtituto contendebant. Hinc clavium urbiſque defendendæ, & muneris ædilitii, Magiſtratus creandi, comprehendendi puniendique fontes, & capitales cauſas dijudicandi, rationem arbitriumque ſibi vendicabant. Uſum præterea fluminis ad excitandas in illo molas, rei que nummarie curam ad ſe pertinere, jure optimo conſuetudine firmato, affirmabant, in quibus ſuo Archiepiſcopo nulla fide obligarentur. Quæ ut rei ſua tuerentur, à Lützelburgenſibus, federe jam olim devinctis, militare præſidium in urbem admiſere. Hæc cum Princeps oppoſitis diluere rationibus, juſque illud patrocinii ab Archiepiſcopo, recepto non ita pridem Proteſtante, potius, quàm à Lützelburgicis, limitato Urbi federe quondam, ſed nunc exoleto, devinctis, petendum eſſe, contenderet: ad fori Cæſarei tribunal delata controverſia eſt, ingentibus utriusque partis expenſis offenſionibusque, lite per tredecim annos producta, ſimilique ferè exitu, quo illam Carolus IV. Imp. definierat, terminatâ. Auguſtanis inter hæc comitiis, & Joannes, & ceteri Principum, colligendis adverſus Turcam ſubſidiis operam, ſed irritam pro more, dederunt. neque comitiis Trevirenſibus in ea quicquam tribuere placuit, quod hoc titulo ad cupiditates proprias plures abuſi eſſent. Ad D. Maximini ſuburbanam Abbatiam cum acceſſiſſet, præfixa à quibusdam Burgundicæ domus inſignia, juſ ſibi protectionis in eandem vendicante, teſtibus adhibitis reſcripſit, ne ſibi præſcripſiſſe viderentur.

Inſequens porrò annus Joanni lentâ tæbe IV. idus Februarias conſumpto, extremus fuit. Quo tamen die, ingenti animo, pænè ſtans obiit. Siquidem inclinata jam

iam luce, in lectum, velut ad somnum, detractis vestimentis, procumbens, cum Sacerdotem accersisset, ministratis ritè Sacramentis, inter pia ad Deum suspiria, manibusque & oculis in cœlum levatis, Spiritum creatori suo reddidit, Confluentiæ, mortis loco, in ædem B. Florini magnifico funere illatus. Monumentum Successor in saxo hac inscriptione crexit. *Reverendissimo & Illustrissimo Principi ac Domino D. Ioanni electo & confirmato in Archiepiscopum Trev. S. R. Imp. Electori, &c. Qui cum annis X. menses X. Archiepiscopatus prudenter præfuisse, Confluentia in pace quievit. Die X. Febr. anno MDLXVIII. Successor honoris causa posuit.* Extra apud Dominicanos ibidem, ante maximam aram, collocata sunt.

Lenta tabe
occumbit
Confluentiæ
sepultus.

Mortis insperatæ nuntio, graviter bonorum in imperio animi ipsiusque Cæsaris perculsus est, ut literis ad Optimates XI. Martii datis testatus sit: *Principem & morum integritate, & ingenii doctrinaque præstantia, & insigni lenitate præditum, non Treverica modo ditioni, sed sibi, imperio, Reip. Christiana, periculosis istis temporibus, maturius quàm optasset, ereptum.* Sacerdotii inveniendi consilium, longius, quàm par erat, rejectum, cum jam, apparatu sacro instructus, destinasset ad exitum, mors prævertit. Semper tamen Sacrorum Doctrinæque hominum fuerat consuetudine delectatus. Urbs illi Trevirensis antiquæ servatum religionis decus, quo propemodum exciderat, æternâ gratitudinis obligatione, debet. Patres Societatis, ut primùm complexus, ita singulari munificentia profecutus est, jamque census ad vitam necessarij foundationem auspiciatus, vitâ ac tempore magis, quàm voluntate destitutus est. Vixit tamen adhuc moriens in Bartholomæo fratre summæ ædis Decano, Guiljelmo Quando Archidiacono, & Lothario nepotibus. Ex quibus hunc tandem egregia indoles ad eandem sedem provexit.

Elegans

672 Lib. XXI. Pius V. Pap. Maximilianus II. Imp.
Elegans aliud Joannis Epitaphium typo exaratum, nos eidem apponemus.

Hic ego Germanas, cujus spatiata per urbes
Fama iit, exiguâ sum tumulatus humo.
Terra tegit, quod terra dedit, sed Spiritus altas
Jam cœli partes liberioris habet.
Quid mortem, casusque meos, defletis amici?
Non dabitur multis, sic potuisse mori.
Petra dedit nomen, quid petrâ fortius? aquè
Sic animus fortis, sic quoque pectus erat.
Hac satis: ast de me tibi cetera fortè loquetur
Posteritas, lethi nos vetat alta quies.



ANNA.